

Languentes relevo, morituros excito, mæstos  
Erigo, pallentes munio, cinco Deos.

23 Quibus tamen non obstantibus, Henricus Magnus Galliae Rex, ut Causinus (o) narrat, dicebat, nihil vetare quominus Regum liberi, musicorum audirent acroamata: musicam autem discere, aut fidibus canere volebat; cum praesertim hæc ars, nihil iis præterquam ad amatorias illecebras sit profutura. Pessimum documentum, & quod perversa naturæ contagione, celeris irreperit animo, quam magistri præceptis egeat. Regum quidem propria in pace instrumenta, sceptrum esse, & manum justitiæ, in bello gladium; hæc iisdem regiè tractanda, hæc utroque tempore usurpanda prædicabat. Prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, ceterarumque virtutum temperiem, Regiam planè cantilenam esse musicis legum numeris illigatam, quam quisque quadripartito solus canere posset. Cum quo consonat illud Gelonis apud Plutarchum (p), qui, in convivio, cum lyra circumferretur, ceterique ordine canerent, (nam id apud Græcos honestum habebatur) equum jussit adduci in convivium, facillèque, ac leviter in illum insiliit, significans, hoc esse regalius, quam lyra canere.

24 Ceterum, ut ad rem redeamus, non solum licitum dicimus, Principes sub hac, quam diximus, moderatione, animum demulcere, & Regias curas, atque anxietates paulisper deponere, verum & ipsis, quos regunt, populis, aliquando otiosi, & feriari permittere debent, & ludos, ac festivitates publicas, quibus oblectentur, & exhilarentur, concedere; & citharedum imitari, qui neque nervum intendit, ne abrumpat, nec remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat. Vel Deum potius, qui, ut D. Chrysostomus (q) ait: *Nec in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam utrumque faciens. Non sinit nos continua potiri remissione, ne seniores fiamus: non autem rursus sinit in continua versari tribulatione, ne concidamus, neque desperemus.*

25 Quod monitum, juris gentium non malè appellari potest, cum nulla fuerit gens, quæ suo modo, moreque aliquos ludos non instituerit, ut post alios novissimè Bullengerus (r), Souterius (s), Pantoja (t), Meursius (u), Beyerlinchius (x), & alii demonstrant, & graviter ostendit Seneca (y) eosdem, dummodo moderati sint, commendans, nam frequens usus omne animi pondus eripiet, addensque, *Legum conditores festos instituerunt aies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tamquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.*

26 Quod & plures leges (z) Romani juris ostendunt, jubentes, ut populis lætitia reddatur; & non tam in Regibus voluntarium, quam necessarium, docet Cassiodorus (a), dum post multa relatu digna de ludis Circensibus, & aliis, eorumque laude & utilitate, sic finit: *Hæc nos fovemus necessitate populorum imminentium, quibus votum est ad talia convenire, dum cogitationes serias delectantur abjicere. Paucos enim ratio capit, & raros probabilis oblectat intentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarum remissionem constat inventum. Expediit interdum desipere, ut populi possimus desiderata gaudia continere.*

27 Qui sanè locus, & alia, quæ supra retulimus, satis conducunt ad resolutionem questionis, tum sæpè aliàs, tum maxime his diebus in examen magno studio vocatæ, an Comædiæ, & theatrales, quas vocamus *repræsentationes*, populis (ut fieri assolet) concedendæ, vel in totum à Republica exterminandæ sint? Certè enim, licet Christianis moribus magis conveniat, ejusmodi oblectationem interdiciere, propter excessus, abusus, & peccata, quæ inde oriri cognoscimus, in quibus referendis, & exaggerandis latè Mendoza (b), & alii calamum extenderunt. Adhuc tamen plures rationes pro illius continuatione, (si abusus reformetur, & aliæ cautiones adhibeantur) existunt, de quibus alibi se se Nobis offeret opportunior dicendi locus, & interim videnda erunt, quæ non ineruditè nostri D. Franciscus de Amaya (c), & Dom. Didacus de Saavedra (d) de hoc argumento, post alios à se relatos, literis prodiderunt.

EM-

(o) Causin. in *Polistor. symb. lib. 5. cap. 32.*(p) Plutarc. in *Lacon.*(q) D. Chrysost. in *homil. 4. ad popul. Antioch.*

(r) Bulleng.


(s) Sout.

(t) Pantoja in *tractat. de ludis.*

(u) Meurs.

(x) Theat. Beyerl. *verb. Ludus.*(y) Senec. de *Tranq. cap. 3. § 15.*(z) L. unic. C. de *majum. l. 2. cod. tit. in Theo. l. 4.*C. de *pagan. l. 1. § 5. C. de spectac.*(a) Cas. lib. 3. *epist. 51.*(b) Mend. *quodlibeticis.*(c) Amaya lib. 3. *observ. cap. 5. num. 67. § 1044.*(d) Saav. *Emp. 73. pag. 553. & 554.*

## VIRTUTIS SONUS PRINCIPUM HONOS.



Fertur Achilleam Paradis lyræ ad arma ruentem  
Quondam Pellæum præposuisse Ducem:  
Scilicet illa suis Venerem moderatur in hortis,  
Hæc rabidi furias Martis, & arma canit.  
Si elegisse datur fors an solatia, Princeps,  
Semper Achilleam dicito malo lyram.

## COMMENTARIUS.

**I** Emblema hoc ad majorem antecedentis explicationem dirigitur, Principesque hortatur & admonet, ut vel in ipsis ludicis rebus, & ad remissionem animi comparatis, semper honestum, & decorum attendant, & virtutis, publicæ, ac communis boni viam eligentes, à vitiis abstineant, & in bivio positi, bona potius, quam turpia, & probrosa aliorum exempla sibi imitanda proponant.

2 Sumiturque ex historia Alexandri Magni, cujus Ælianus (a), & alii (b) mentionem fecerunt. Qui cum Ilium venisset, & omnia studiosè contemplaretur, quidam Troum ei lyram Paradis ostendit. At ille: *Pluris (inquit) hæc, lyram Achillis facerem, si eam mihi ostendere posses.* Desiderabat nimirum fortissimi Ducis instrumentum, quo usus erat in præstantium bellatorum laudibus celebrandis, non examinati, qui nihil aliud, quam infames amores, & adulteriis accommodata carmina cecinit, & fœminis captandis, demulcendisque convenientia.

3 Fuit enim Magnus hic Imperator, summus in omnibus Achillis imitator, cujus & sepulchrum videre gestiit, multisque floribus, coronis, & unguentis, *Plutarcho (c) testante*, donavit, & quoddam Homerum rerum suarum laudatorem habuerit, invidit. Magni enim momenti res est, ut Autor quidam hæc memorans addit, vel intueri vestigia saltem, vel cineres, aut saxæas moles eorum oculis contemplari, quorum virtutes, & res gestæ olim tantæ fuerunt, ut in hodiernum usque diem mille verborum elogiis decantentur, disciplinaque adeo, & exemplo sint aliis.

4 Quod nulli felicius, quam Achilli contigisse videtur, cum ejus nomen posteris ad strenuos bellatores, & insigni fortitudine homines, pertransierit, & quicquid præclarum extat, excel-

(a) Ælian. lib. 9. de *var. hist. cap. 38.*(c) Plut. in *vit. Alex.*(b) Stob. *serm. 7. Lycost. in Apoph. pag. 305.*

celso est animo, ingenuamve nobilitatem toto corporis filio moribusque praesert, proverbia figura, Achilleum spirare dicitur, ut post Agellium (d), & alios, tradit Erasmus (e), & Martialis (f) Commentatores illud

Laudat Achylleus, sed sine fine pedes.

5 Esse autem hanc Alexandri Magni inter has duas cytharas electionem, ejus ingenio spirituque dignissimam illud quoque confirmat, quod Dio (g) Prusensis, sive Chrysostomus, eundem, Philippo patri respondisse narrat, cum ab ipso sciscitaretur, cur tantopere librorum Homeri lectione delectaretur? Respondit enim, quod non quavis Poësis Regem deceret, cum parum habeant utilitatis, voluptatis plurimum, & nihil in eorum lectura proficere possit is, qui praestare velit cunctis, atque imperitare: Homeri autem (inquit) Possim solùm video ingenuam esse, & magnificam, & verè Regiam. Cui animum advertere decet eum virum, qui maximè quidem imperaturus sit omnibus, & futurus, ut idem H. nerus ait, Pastor populorum.

6 Similis quoque Alexandro Caesar Augustus, ut Xiphilius (h) commemorat, cum per Alexandriam iter faceret, & ei Alexandri ostendissent corpus Alexandri Magni, illud summa veneratione, & admiratione suspexit, & contrectavit; sed cum Alexandri ultra procedere vellent, ad ostendendum etiam corpora Ptolomæorum, hoc recusavit, inquires: Regem cupivi, non mortuos videre. Apim quoque adire noluit, quod se Deos adorare, non bovem, consuesse diceret.

7 Nec valde differt aliud Caroli VI. Francorum Regis exemplum, à Roberto Gaguino (i) relatum, qui cum esset Moldavi, ubi armamentum patris erat, & magna suppellectilis pars. Paterque, oblata illi corona, & casside, quam mallet, interrogaret? cassidem optavit, sic bellici spiritus, quem postmodum detexit, specimen præbens, & arma Regno, Regni que divitiis anteponens.

8 Sed antiquius his, & ad Bivium Virtutis, & Voluptatis, de quo agimus, magis aptum exemplum ex Prodicio Hercule sumi potest, sic dicto ex eo, quod Prodicus Philosophus omnium primus hanc de eo fabulam commentus fuerit, ut Philostratus (k), Themistius (l), & latius ceteris Maximus Tyrius (m) scribunt, nimirum, quod vix ab Ephēbis egressus, sed viriles jam tamen animos gerens, duplici in via consistens, Virtutem, & Voluptatem sibi observantes habuit, diverso quidem vultu, vestitu, ac sermone; utramque, ut ipsam sequeretur variis rationibus, sive orationibus persuadentem. Quibus tamen auditis, spreto Voluptatis commodis, & illecebris, Virtutem, arduosque ejus labores sequi maluit, ut qui Jovis filius, & præclaræ indolis esset, quamvis Stephanus Forcatulus (n) hoc ipsum de Ægyptio, sive Gallico suo Hercule, Osiride parente sato, accipiendum esse, probare contendat. Cui tamen prædicti Auctores adversantur, ac præterea Cicero (o) & Xenophon (p). Nisi quod hi, colloquia Virtutis, & Voluptatis, quæ prodicus effinxit, omitunt, & solum scribunt, Herculem in solitudines exiisse, atque ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset. Et in hoc bivio ita constitutum, amonam primo, ac fosculis confestim perituris, voluptatis viam neglexisse, & alteram clivisam, atque asperam prima fronte elegisse, quia ad mirificas delicias, & perennes perduceret. Quem dicendi fingendique modum sequutus videtur Petrus Costalius (q), ex eo unum ex suis Pegmatis formans; & his versibus ornans:

Dum vitam primam ingreditur Thyrintius heros,

Valde animi pendens, constitit in trivio,

Hic via se partes coram fudebat in ambas,

Que dubii excruciant fortia corda Ducis.

Una Voluptatis longo latissima calle,

Alteram Virtutis, margine clausa brevi:

Sed pius Alcides, nulli virtute secundus,

Arctum Virtutis se dedit in gremium.

Scilicet hæc ista est, mentis semita vite:

Nam Virtus hominem sola beare potest.

9 Ad Prodicii autem signum respexit novissimus Schoonhovius (r) in quodam Emblemate ex eo constructo, cujus lema est, Lubricam juventutis, ejusque carmina in se habent:

(d) Agel. lib. 2. cap. 11.  
(e) Erasmi. in Adag. pag. 90. & 258. & seqq.  
(f) Martialis. lib. 2. Epigr. 14.  
(g) Dio Prus. in Orat. de Regno.  
(h) Xiphil. in Aug.  
(i) Gaguin. hist. Franc. pag. mibi 168.  
(k) Philost. lib. 6. cap. 5.

(l) Themist. in Orat. de Anticitha.  
(m) Tyrius. dissert.  
(n) Forcat. de Gall. Imp. & Pbil. lib. 1.  
(o) Cicero.  
(p) Xenoph. lib. 2. memor.  
(q) Costal. Pegm. fol. 42.  
(r) Schoonh. Emblem. 35. pag. 108.

Dum tener, & nondum fundarat in orbe columnas,  
Monstraque delerat Amphitroniades

Apparet illi Virtus hinc, inde Voluptas,  
Et studet in partes flectere queque suas.

Blanda Voluptatis, Virtutis dura videtur  
Semita, dum primo limine quanque notat

Hanc tamen invicte subiens, certamine mentis,  
Ad superos tandem vi sibi stravit iter.

Alcides similes homines sunt, dum levis ætas,  
Et peragit cursus ceca juvena suos;

Felix qui rectum potuit servare tenorem  
Integer, & nullo crimine tactus obit.

In eandem quoque sententiam tendit divina Iyra Maphæi Cardinalis Barbarini (s) (pos tea Urbanus VIII. Pontifex Opt. Max.) præstantius omnibus, Virtutis, & Voluptatis rationes, quibus Herculem ad se attrahere contendebant, exponens, cujus verba brevitati consulens non transcribo, sicut nec alia Silii Italici (t), quorum supra (u) mentionem feci qui quod Prodicus de Hercule finxit, ad Scipionem Juvenem transferens, deliberantem an post patris, patrique obitum belli Punici in Hispanis curam contra Hasdrubalem suscepturus esset, Virtutem, & Voluptatem ad eum accedentes, invicemque configentes, inducit.

11 Semper etenim, vel Hesiodo (x) testante:  
Virtutem possuere Dii sudore parandan,  
Arduus est ad eam longinque per ardua callis.

Sive ut aliter (y) dixit:  
Ardua per præceptis gloria evadit iter.

Quod & ipse Salvator Servatorque noster Christus Dominus apud Matthæum (z) monuit, dum dixit: Contendite intrare per angustam portam, quia lata porta est, & speciosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam, quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.

12 Sed hic tamen labor honoris, & gloriæ præmio, quod ejus assecras manet, ubertim reponderatur; ut Romani ostendere voluerunt, Virtutis & Honoris templis in edita rupe à Marco Marcello extractis, sibi que ita mutuo conjunctis, ut ad Honoris, non nisi per Virtutis templum ingredi fas esset. Unde Symmachus (a): Benè & sapienter Majores nostri (inquit) ædes Honoris, atque Virtutis gemellas junctim locarunt: commenti ibi esse præmia honoris, ubi sunt merita virtutis. Et latius D. Augustinus (b) sic loquens. Via virtus est, qua nitimur tamquam ad possessionis finem, id est ad gloriam, honorem, imperium. Hoc insitum habuisse Romanos, etiam Deorum apud ipsos ædes indicant, quas conjunctissimas constituerunt, Virtutis & Honoris, pro Diis habentes, quæ dantur à Deo. Gloriam ergo, honorem & imperium, quæ sibi exoptabant, & quod bonis artibus pervenire nitentur boni, non debet sequi virtus; sed ipsa virtutem. Neque enim vera virtus est, nisi quæ ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est, &c.

13 Eandem quoque significationem, & monitionem, quod per angusta & angusta perumpatur, mandato & exemplo suo Deus Nos apud Michæam (c), & Div Paulum (d) edocuit, & Antiqui hoc ipsum bivium, de quo agimus: in litera Pythagore. Y. insinuari tradiderunt, ut eleganter ostendit Virgilius (e), hoc carmine eam describens, quod licet vulgatum sit, absque piaculo hic omitti non potest, & sic habet:

Litera Pythagore discrimine secta bicorni,

Humane vite speciem præferre videtur.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,

Difficilemque aditum primum spectantibus offert:

Sed requiem præbet fessis in vertice summo.

Molle ostentat iter in via lata, sed ultima meta

Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

(s) Card. Barbarin. in ed. ad Franc. Card. Barbar. pag.  
(t) Silius Italic. lib. 15.  
(u) Sup. Emb. 7.  
(x) Hesiod. in operib.  
(y) Pined. Menand. & alii, apud Cabocium in Horat. lib. 1. satyr. 9. pag. 106.  
(z) Matth. 13. 7. & seq.

(a) Symmac. lib. 1. ep. 20. vide etiam Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 16.  
(b) D. Aug. de civit. Dei, lib. 5. cap. 12.  
(c) Michæ. 2. 13.  
(d) D. Paul. Ephes. 1. 18. & 19. 20. 1. Pet. 3. v. ult.  
(e) Virg. in Append.

Quisquis enim duros casus virtutis amore  
 Vicerit, ille sibi laudem decusque parabit.  
 At qui desideriam, luxumque sequetur inertem  
 Dum fugit oppositos incauta mente labores,  
 Turpis inopsque simul, miserabile transiget æcum

14 Persius (f) quoque eadem similitudine utitur, instruens nobilem adolescentem, ut circa literarum studia se sedulum præstet, eumque à virtute commendat, his versibus:

Et tibi quæ Sanius diduxit litera ramos,  
 Surgentem dextro monstrabit limite callem.

Et apertius Lactantius Firmianus (g), in hunc modum: Dicunt humanæ vitæ cursum. T. literæ esse similem, quod unusquisque hominum, cum primum adolescentiæ limen attingerit, & in eum locum venerit, partes ubi sevia fundit in ambas, heret natabundus, & nesciat inquam se partem potius inclinet. Si Duce[m] nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, honestam ac copiosam vitam disputant peracturum, si verò Doctorem frugalitatis non invenerit, in sinistram viam, quæ melioris speciem metiatur, incidere, id est, luxuriæ, inertique se tradere, &c.

15 Ipsumque idem bivium exponens Henricus Oræus (h) sub Icone Herculis Prodicii, & lematè, Intrate per angusta, sic habet:

Per duros casus dextrum petit ardua Callem  
 Virtus, & tandem laudis honore beat.  
 Tramite sed levo crudeles itur ad umbras,  
 Omni vincit ubi gaudia parte malum.

16 Ornarique adhuc magis potest Ulysis exemplo, qui, ut Horatius (i) canit, prudentia, & virtute sua aspera multa pertulit, & obturatis ad Sirenium voces auribus, & Circes pocula labiis, tandem felix evasit:

Quæ si cum sociis stultus, cupidusque bibisset,  
 Sub domina meretrice fuisset, turpis & excors  
 Vixisset canis immundus, & amica lutosus.

Et egregius Ovidii (k) carminibus, qui eorum felicitatem, & beatitatem, qui sciunt reprobare malum, & eligere bonum, hoc est vitium, & voluptatibus res suas habere jussis, rectum & exactum vitæ iter agnoscere, & arripere, & per mundanas hasce vanitates, ad eas virtutes tendere, quibus omnem vitam tueri possint, sic canit:

Felices anime, quibus hæc cognoscere primum:  
 Inque domos superas scandere cura fuit:  
 Credibile est illos pariter vitisque jocisque  
 Altius humanis exercuisse caput.  
 Non Venus, aut vinum sublimia pectora fregit  
 Officiumque fori, militiæque labor:  
 Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco  
 Magnarumvè fames sollicitavit opum;  
 Sic petitur calum, &c.

17 Cum è contrario, vitiorum, ac voluptatum nigra sit cauda, ut est in proverbio (l), lachrymabilis exitus, & certissimus comes, dolor, ac poenitentia, ut rectè agnovit Plautus (m), dum dixit:

Ita comparatum est in ætate hominum,  
 Ita Diis placitum, voluptati ut meror Comes consequatur.

Et Boëtius (n) sic inquit:

Habet hoc voluptas omnis      Ubi grata mella fudit,  
 Stimulis agit fruentes.      Fugit & nimis tenaci  
 Apiumque par volantem,      Ferit icla corda morsu.

Quam sententiam adhuc gravius oratione libera idem Auctor ibidem expressit, & Div. Augustinus exclamans (o): O voluptates, quam faciles aditus habetis, dum snadetis, quam verò difficiles habetis exitus: dum suadetis inungitis, sed postquam suaseritis, usque ad mortem anime pungitis. Unde rectè monet Horatius (p), cum quo huic commentationi finem imponam, Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

EM-

(f) Pers. satir. 3.  
 (g) Lactant. lib. 6. de vero cultu, cap. 3.  
 (h) Oræus Icone 27.  
 (i) Horat. lib. 1. epist. 2. ad Lolium.  
 (k) Ovid. lib. 1. Fast.

(l) Erasm. in Adag. pag. 516. & 415.  
 (m) Plaut. in Amphit.  
 (n) Boet. lib. 3. Met. 7.  
 (o) D. Aug. de contrar. cord. cap. 4.  
 (p) Horat. lib. 1. epist. 1. ad Lolium.

EMBLEMA XXXIII  
 IN NIMIS DEDITOS VENATIONI.



Vides ut artus turba canum secet  
 Aetæneos; corripit improbum vulgus  
 Dolosum cervum, & odit  
 Quos malè nutrit ille morsus.  
 Disperdit altos immoderatio  
 Diana Reges; tempus, opes, salus  
 Hinc dilabuntur. Nimum omne cave.

COMMENTARIUS.

1 **Q**UM Regibus, virisque Principibus laxandi animi causa aliquas oblectationes permitti dixerimus, è re esse videtur, ut quid de venatione sentiamus, paucis pertractemus. Et herclè negari non potest, quin hæc, præceteris, à prudentissimis gravissimisque Scriptoribus, non solum Regibus concedatur, verum & summopere commendetur, utpotè in qua, ultra animi laxationem, corpus quoque exerceatur, & ad surgendum diluculo, frigoraque & calores, aliosque labores perferendum, consuefiat, & bellorum prætorumque progymnasma quoddam, in ea repræsentetur, quorum disciplina, & scientia, nullis magis, quàm Regibus est necessaria.

2 Quæ omnia, & alia, quæ huc spectant, latissimè prosequitur Xenophon (a), Dux & Philosophus præstantissimus, in elegantissimo libello, quem de venatione composuit, & in sua Cyripædia, addens, his de causis Persarum Regibus hoc venationis studium gratissimum, & usitatissimum fuisse.

3 Divus quoque Plato (b) illud Heroicum esse inquit, & vel lege sanciri debere, ne quis ullibi eodem prohibeatur, his verbis: *Sola & quidem optima venatio est quadrupedum, quæ equis, & canibus, & corporis viribus peragitur. Quibus enim Heroica fortitudo cura est, ii quadrupedes omnes cursu, volucris, telisque manu propria, venando, superare debent. Lex autem ita statuitur, sacros hos Venatores ubicumque, & quando venari voluerint, nemo prohibeto.*

4 Julius Pollux (c), Platonis (ut apparet) pedissequa, venationem pariter vocat: *Studium Heroicum, Regiumque, & ad corporis animique bonam constitutionem conferens, ac tam placidæ fortitudinis, quàm militaris audaciæ specimen.* Et Olaus (d) Magnus, eisdem vestigiis in-

(a) Xenoph. in Cyrip. lib. 1. & in lib. de venatio. de qua etiam scripserunt alii quos refero. Tiraq. de nob. c. 37. n. 143.  
 (b) Plato de legibus, dial. 7. in fin. Vide Saaved. Emprer. 3. pag. 24. & latè Ceed. 9. Æneid. vers. 605. & plures alios apud D. Ant. Cabreros in tract. de metu, lib. 2. cap. 37. ex num. 2. Scornborn. lib. 3. polit. cap. 46.  
 (c) Jul. Poll. in onom. ad Commod. Car. lib. 5.  
 (d) Olaus lib. 18. cap. 42.

sistens, commemorat, Viriatum Lusitanum, cum pastor esset, militarem disciplinam ex sola venatione didicisse, cui operam dedit; & venatoribus (inquit) Dux factus, cum nulla generis, aut majorum commendatione clarus esset, universum Hispaniæ exercitum magna cum laude contra Romanos integro decennio duxit.

5 Horatius (e) etiam ad Lollium scribens, & de venatione loquens, eximie laudat:

Pulmenta laboribus eruta  
Romani solenne viris, opus utile fame,  
Viteque & membris.

Ovidius (f) Veneris sedandæ remedium in eadem constituit, inquit:

Vel tu venandi studium cole, sæpè recensit  
Turpiter à Phæbi viela sorore Venus.

Ad quod alludens Schoonhovius (g) (Ovidio tamen non citato) Emblema fecit, sub titulo, Labor amoris demitor, his subjectis carminibus:

Omnia parca puer Veneris justissima proles,  
Telorum duro cum premis Imperio,  
Sola Diana tamen vestri vim despicit arcus,  
Dum sequitur fortes fortior illa feras:  
Otia si tollas perit vesana libido,  
Quam labor assiduus, duraque vita domat.

Et Statius (h) Papinius Achillem illum bellatorum maximum, venationem à Chirone didicisse tradit, ejusque armorum præludia, & venationes recensens, sic ait:

Quid nunc tibi prælia dicam  
Sylvarum, & vacuos sævo jam murmure saltus?  
Nunquam ille imbelles Ossæa peravia lynces  
Sectari, aut timido passus me cuspidæ damas  
Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursos  
Fulmineosque suos, & sicubi maxima tygris;  
Aut subducta jugis fœta spelunca leonæ.  
Ipse sedens vasto facta expectabat ab antro.  
Si sparsus multo remearem sanguine, nec me  
Ante, nisi inspectis admisit ad oscula telis.

6 His plura alia testimonia, Regumque, & Imperatorum exempla addi possunt, qui nimis venationi dediti fuerunt. Adde notabile exemplum, & Fidorum Consiliariorum circa hunc excessum animadversionem apud Vasconcel. In anaceph. Reg. Portug. pag. 113. & seqq. & plenè à Tiraquello (i), & aliis (k) commemorantur. Sed nobis superiora tetigisse sufficiat, & celebrem nostri septem Partii juris Constitutionem (l), quæ de his venationis utilitatibus agens, illasque veluti in compendium reducens, ita inquit: E para esto, una de las cosas que fallaron los sabios, que mas tiene pro, es la caza, de qualquier manera que sea, ca ella ayuda mucho à menguar los pensamientos, è la saña, Lo que es mas menester al Rey que à otro ome. E sin todo aquesto dà salud, ca el trabajo que en ello toma, si es con mesura, faze comer, è dormir bien, que es la mayor cosa de la vida del ome. E porende los Antiguos tovieron que conviene esto mucho à los Reyes, mas que à otros omes, por alegrar su vida, è su salud. E porque la caza es arte, è sabiduria de guerrear è de vencer, de lo que los Reyes deben ser mucho sabidores, &c.

7 Cui legi suffragatur Plinius Junior (m), nisi quòd venationem, non ad minorandas sedandasque cogitationes, sed ad ipsas excitandas, utillem facit. Sic enim scribit: Nam & sylvæ solitudo, ipsunque illud tempus quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt.

8 Sed licet hæc ita se habeant, & solido veritatis fundamento nitantur, ita tamen intelligenda, & temperanda sunt, ut venationis studium & oblectatio, non tam à Regibus, & Principibus (quibus cum præcipuè loquimur) in officium, frequensve exercitium, sed in aliorum, laborum, curarumque levamen, raro, & sine magno in hanc rem sumptu, & apparatu sumatur, ut de reliquis aliis animi laxamentis in superioribus diximus. Alioqui enim non laudabilis, sed vituperabilis erit, illiusque exercitium in exitium tendet, damnosumque esse incipiet, quod in ordine ad meliorem negotiorum expeditionem permittebatur, ut ipsi iidem Auctores agnoscunt, quos pro venatione citavi, præsertim Plato (n), sic inquit: Venationem legis-

(e) Horat. lib. 1. epist. 18.  
(f) Ovid. de remed. amor. lib. 1.  
(g) Schonh. Emb. 31.  
(h) Stat. Papin. lib. 1. Achilleid.  
(i) Tiraq. de nobil. cap. 37. ex num. 138.

(k) Theat. verb. Venatio, ex pag. 17.  
(l) L. 20. tit. 5. part. 2.  
(m) Plin. Jun. lib. 1. epist. 6.  
(n) Plato d. Dialog. 7.

lato, & laudare, & vituperare debet, ad juvenum labores, & studia respectu habito. Eamque quæ animos juvenum meliores reddit, laudare; quæ contra vituperare. Et dicta lex nostra Regia, quæ post verba supra relata, subiungit: Pero no debe meter en esto tanta costa que mengue en lo que ha de cumplir, nin use tanto de ella, que le embargue los otros fechos.

9 Idemque ipsum Franc. Petrarca, & omnes Politici (o) docent, & Nos præsentis Emblemate designamus, & insinuamus, sub Actæonis fabula à propriis canibus inter venandum occissi, quàm pupugisse sufficere, utpotè pueris (quod ajunt) & tonsoribus notam, & à Ovidio (p), & aliis (q) plenissimè decantatam. Neque objiciat aliquis Nos actum agere, cum de eadem Alciatus (r) jam aliud Emblema formasse reperiat. Nam licet in pictura noviscum consentiat, in Mythologia tamen, & applicatione differimus. Ille enim hac fabula receptatores sicciorum, latronum & parasitorum significari innuit, qui tandem ab eis devorantur, & consumuntur, Phavorinum nimirum apud Stobæum (s), & alios Auctores (t) ibidem à Claudio Minoe (u) relatos, sequutus, qui eandem explicationem, sive applicationem tradiderunt, ut & alii alias plures, quas Natalis Comes (x) lato calamo retulit.

10 Nos verò planiorem hanc sequimur, & exprimimus, quæ multis itidem placuit, ut scilicet ad Venatores referatur, qui tempus & salutem in venando absument; ut ille alter Horatii (y):

Manet sub Jove frigido  
Venator, tenera conjugis immemor:  
Ceu vixta est catulis cervæ fidelibus,  
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Vel Thomæ Mori (z)

Venator defessa thoro quam membra reponit:  
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit.

Aut etiam in venandi luxu, inutilli admodum, & sumptuoso, suas opes miserè dilapidant. Hi enim à canibus, quos aluerunt, ut & noster Actæon à suis; tandem, ultione divina, quasi membratim dilaniantur, & devorantur. Eoque justius gravius illi, qui hanc ob causam justiores, & graviores curas, atque occupationes, honestasque alias actiones sibi injunctas, insuper habent, & omnem temporis usuram in aucupis, & venationibus terunt.

11 Quo etiam sentiendi modo hujus fabulæ moralitatem exponit Cognatus (a), & ante eum Policraticus (b), sive Joannes Salisberiensis, sic inquit: Dux Thebanus visa nuditate illius, quàm in sylvis semper coluerat, cum ab errore pedem sui revocarent affectus; sub humano sensu se in bestiam obstupuit transformatum; cervisque conformis; cum domesticos canes voce, & vultu niteretur abigere, vitio pravæ consuetudinis, totius substantiæ suæ dispendio, eorumdem morsibus patuit.

12 Novissimus etiam Antonius Burgundia (c), eodem sensu, eandem fabulam explicat, & ad nudæ Dianæ conspectum Actæonem statim in cervum verti, & à suis canibus dilaniari, nihil aliud significare ait, quàm venatores, qui nudum præda nemus, multa cincti indagine visitant, morâ nulla, quasi feram inter feras indui, & studio venationis, ac sumptibus, hinc inde distractos, totos absumi.

13 Ut omittam plura vitæ pericula, atque discrimina, in quæ temerarii, & inconsulti venatores incidere solent, quæ respiciens Xenophon (d), suum Cyrum, huic studio valde deditum, monet, ne ad ursos, ac leones, pardos, aprosvè appropinquaret, qui olim complures homines dilaniarunt. Et adhuc Cyrus ipse, cervum insequens, non tam propter ejus feritatem, quàm quòd nullam locorum rationem habuit, equo cadente, cecidit, & ejus propemodum cervices confractæ sunt.

14 Idem consilium Venus apud Ovidium (e) Adonidi puero, quem deperibat, quique venatione nimis delectabatur, his verbis dedit:

Hos tu cave mihi, cumque his, genus omne ferarum,  
Quod non terga fugæ, sed pugne pectora præbet;  
Effuge, ne virtus tua sit damnosa duobus.

Z z

(o) Petrar. de rem. utr. fort. lib. 1. dialog. 32. Patrit. de Regn. lib. 3. cap. 6. Amirat. Arniseus Scomboener, & plures alii apud Ascaff. in tract. de arario, pag. 653. & 898. quem vide, & Seb. Medic. in tract. de venat. 1. part. quest. 41. & seqq. & Junium orat. 8. de venat. & Cæbrerius d. cap. 37.  
(p) Ovid. 3. Metam.  
(q) Eurip. in Bacchid.  
(r) Alciat. Embl. 52.  
(s) Stobæus serm. 12.

(t) Anul. in picta Poesi.  
(u) Minoes ad Alciat. pag. 227.  
(x) Nat. Comes in Mythol. lib. 4. cap. 24. pag. 673.  
(y) Orat. lib. 1. od. 1.  
(z) Thom. Morus in carminib.  
(a) Cognat. lib. 2. narrat ex Ovid. Metamorph.  
(b) Policr. de cur. nug. lib. 1. cap. 4.  
(c) Burgund. in Lapide Lydio mundi, cap. 33. pag. 95.  
(d) Xenoph. in Cyropæd. lib. 1.  
(e) Ovid. lib. 10. Metamorph.

15 Et postea late referens Hippomenis, & Atalantæ fabulam, & quare, & qualiter in leonem & lænam conversi fuerint, & ut ab his, & aliis atrocioribus, & pugnacibus belluis sibi caveret, addit eundem Adonidem post discessum veneris ista monita, vel oblitus, vel non curantem, aprum à canibus excitum audacter aggressum, jaculo transfixisse, ejusque moru interiisse. Nasonis verba sic habent:

*Illa quidem monuit, junctisque per aera cygnis  
Capit iter: sed extat monitis contraria virtus.  
Fortè suem latebris vestigia certa secuti,  
Excivere canes, sylvisque exire parantem  
Fixerat obliquo veniens Cinyreus iclu.  
Protinus excussit pando venabula rostro  
Sanguine tincta suo: trepidumque & tuta petentem  
Trux aper insequitur: totosque sub inguine dentes  
Abdidit, & subra moribundum stravit arena.*

15 His addi potest alia aliorum Mythologia apud nostrum Cabrerum (f), qui Actæonis cornua ob uxorem à Procis stupratam, dum ipse, ejus oblitus, nimis venationi indulgebat, processisse, his carminibus producit:

*Actæon plerosque canes fit pauper alendo,  
Conjugis oblitus, cui caret igne focus.  
Per nemus ipse feras sequitur: nuptamque procaces:  
Nanque cicur passa est, sæpè rogata capi.  
Fama malum pernix fabellæ præbuit ausam  
En miser Actæon corniger esca canum.  
Texet nupta domi, bos ruri, asinusque laborem,  
Ite sepulcrales, vos procul ite canes.*

17 Sed quid fabulas loquimur, cum historiæ similibus casibus passim scateant, quos plene Baptista Fulgosus (g), & alii (h) commemorant, & Nos supra Emblemate IX. Maximiliani Cæsaris in prærupta rupe periculum, ob venandi studium tetigerimus. Et nostrum Favilam Regem Pelagii filium, ab urso necatum, & in gloriè sepultum legamus, quod venationi, relicti aliis regni curis, nimis deditus esset, ut his verbis, valde nostri Emblematis monito conductibus, Joannes Mariana (i) recenset: Pelagii filius Favila à patris obitu Regnum, nemine repugnante obtinuit. Regnavit duobus annis, infelici exitu, & morum levitate magis nobilis, quam clarus. Venationi enim nimio plus deditus, cum tantum belli esset in manibus, novumque Regnum imbecillitate magis hostium & perturbatione, quam nostrorum virtute staret: Reipublicæ curam negligere visus, privatasque voluptates rebus communibus potiores arbitrari, ab urso, quem inter venandum avidius insequabatur, dilanatus est, nulla neque vitæ neque mortis gloria, &c.

18 Prout etiam Neroni vitio versum fuit, ut Suetonius (k) tradit, quod non tantum piscatui, venationibus, & aucupis deditissimus fuerit, sed quod etiam aureis ad id retibus, & prodigo nimis, ac sumptuoso apparatu fuerit usus, & Adriano, alioqui inter bonos Imperatores numerato, apud Suetonium, Dionem, & Cuspinianum (l), quod venandi studio, ad insaniam, & periculum tenebatur: nam inter venandum distracto humero, & crus penè confregit, & insidiæ ipsi sunt structæ. Fatentur tamen iidem Auctores, illum, ob hanc causam, nihil eorum negligisse, quod ad administrandam Republicanam, & Imperii commoda pertineret, prout & de Rege nostro Ferdinando Catholico, post Marianam, Saavedra (m) testatur, inquit. *Que era tan aprovechado en los divertimientos, que en ellos no perdía de vista los negocios. Porque quando salía á caza tenía los oídos atentos á los despachos que le leía un Secretario, y los ojos al vuelo de las garzas.*

19 Intempestivum etiam venandi studium taxat in Vero Imperatore Capitolinus (n), & in Leone Decimo, Romano, Pontifice, Paulus Jovius (o). Et Antonius Panormitanus (p), de suo Rege Alphonso Aragonum I. commemorat, quod Venatione uti solebat, cum aliquando relaxa-

(f) Cabrerus d. cap. 37. num. 25.

(g) Fulgos. lib. 9. cap. 12.

(h) Rodig. lib. 23. cap. 2. Theat. verb. Venatio, pag. 23. & 24. Oræus in virid. Hieron. Gliph. Majol. in colloq. de plantis, in princip.

(i) Mariana de rebus Hispan. lib. 7. cap. 3. ad finem.

(k) Sueton. in Neron. cap.

(l) Suet. Tranq. Dio. Cass. & Cuspinian. Hadr.

(m) Saaved. Empr. 72. pag. 552.

(n) Capit. in vero Imper.

(o) Jovius lib. 4. hist. Leonis X.

(p) Panor. lib. 4.

re animum à negotiis vellet, qua non solum odolescentes, sed grandiores etiam natu, militiæ labores tolerare pulcherrimè discunt. Ubi Æneas Silvius in notis, de Imperatore Alberto, sic protulit: *Venatum virile esse, saltationem muliebrem, seque voluptate quavis alia carere posse, venatione non posse.*

20 Unde jam satis liquet, quomodo, & ad quem finem venationi danda sit opera, & quicquid ab eo discedit, vel excedit, meritò vitii nomen mereri, & in gravem reprehensionem Joannis Sarisberiensis (q) incidere, qui semiferos esse, & Centavros eos redolere ait, qui nimis venationibus oblectantur, & post plura in hujus excessus detestationem latissimè tradita, regulas quasdam, metasvè constituit, quas intra hoc studium contineri debeat, acquiescendo mandato Comici (r), *Ne quid nimis*, ut Nos in nostro carmine dicimus. Nam & se cundum Horatium (s):

*Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui,  
Ultra quam satis est, virtutem si petat ipsam.  
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Et ut idem (t) ait, si quis immoderatè:

*Gaudet equis canibusque, & aprici gramine campi,  
Utilium tardus provisor, prodigus æris,*

In illud alterius incidet à Burgundia (u) relatum:

*Inprudens capitur dum captat hiantia Cancër  
Ostrea: sylvarum prædo, ita præda canum est.*

21 Et sanè illud certum est, ut latè probat Sarisberiensis (x), venationem nulli ex sanctis Patribus, neque ex benè moratis Regibus placuisse, & hæc est causa, cur in re Canonico (y) in totum Episcopis, & Clericis prohibita sit, licet in piscatione non ita: cujus differentiæ rationem, post, alios, reddens Rainaldus Corsus (z), inquit: *Venationem fieri cum majore sumptu, bestiasque comedere, quod Christi pauperes allere deberet, contra illud Evangelii (a). Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Ex quo vel apud ipsos Poetas omnino profanos, datus est locus fabule Actæonis, qui à suis canibus propterea dicitur fuisse dilaceratus.*

22 Ad quod potuit allegare notanda verba Conc. Matisconensis (b) à Card. Baron. (c) benè perpensa, & exemplum illius Episcopi Venatoris, qui à diabolo in lacum ob hanc causam immisus, ibique suffocatus fuit, quod apud Rigaltium in vita Caroli Magni legitur. Sed pius est, & ad monendos Reges accommodatius illud, quod Munsterus (d), & alii (e) de Amedeo Sabaudia Duce recensent, qui rogatus à quibusdam Oratoribus, qui apud eum aderant, an etiam haberet canes venaticos? annuit, & postero die ad eos videndos redire jussit. Cumque redissent, Amedeus è pergula à latere ædium ingentem mendicorum multitudinem eis ostendit, una discumbentium. Atque hi sunt, inquit, canes mei, quos alo quotidie, quibusque cœlestem gloriam me spero venaturum.

23 Ob eamque causam Claudius Minoes (f) piè in eos invehit, qui erogant in victum canum, quod commodius possent egenis, & pauperiè pressis conferre, & ante eum Cicero (g), eos quasi prodigos his verbis reprehendit: *Prodigi, qui epulis, & viscerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam, aut brevem, aut nullam sunt omnino relicturni.* Et est videndus novissimum Antonius Burgundia (h), qui pluribus eandem venatorum stultitiam ridet, & ex dicto caneri & ostrea carmine supra relato, symbolum sumit, & lepidam historiam addit, de quodam Lunatico Mediolanense, Equitem nimis venationi deditum, irridente.

EM-

(q) Sarisb. in Policrat. lib. 1. cap. 4. per tot. omnino legendus.

(r) Terent. in Andr. Erasm. in hoc Anag. pag. 507.

(s) Horat. lib. 1. epist. 6. & lib. 1. satyr. 1.

(t) Idem in Arte Poet.

(u) Burgund. ubi infr.

(x) Sarisb. ubi sup.

(y) Toto tit. de sagitariis, & ballist. ubi Abaunza cap.

(z) Erasm. 86. dist. cap. quorundam 1. dist. 34.

(a) Corsus lib. 2. in dag. cap. 14. & plures alii apud Cabrerus de metu lib. 2. cap. 37. ex num. 21.

(q) Matth. 15. 26.

(b) Conc. Matiscon. cap. 13.

(c) Baron. 5. tom. ann. 588.

(d) Munst. lib. 2. Cosmog.

(e) Marlian. in Theat. Polit. pag. 257. Poliant. verb.

Eleemosina, col. 935. in fine.

(f) Minoes ad Alciat. Emb. 52. fol. 227.

(g) Cic. 3. offic.

(h) Burgund. in Lemprid. Lydio mundi, pag. 94. de venandi studio.